

EMINENT.MO AC REV.MO PRINCIPI

ANTONIO

S. R. E.

CARDINALI

BARBERINO.



AVGVSTINVS BAGGIANVS ROMANVS
Sem. Rom. Cleric. F.



NON quærimus ab antiquitate ſtipem, dum Iuoniani ſomni prærogatiuam ſumimus exornandam. [a] Somnus, quem ſublimem alis vides (Eminentiſſime Princeps) cum lethæa virga, & irriguo cornu, ſtipatum volatica ſobole ſomniorum non magis Epimenidem ſopit, quam veterum commenta de ſuo educat nomine. [b] Epimenidem illum quinquageſimam Solis orbitam dormiuiſse, vt mortalitatem

[a] *Ex Phi- ſtrato in A- phiarao.*

[b] *Laertius l. 1.*

edormiret suam, somniarunt. Immortalitatem nominis illi fecit mortis germana dormitio: Diuinitatem bruta humanitatis officia peperere. Adeo semper exorbitauit antiquitas. Quod quærimus citra somnium est. Gentilitij nimirum tui stemmatis inter astra pro Triangulo restituti patrocinium. Tribus stellis gens illa hominum vetus triangulum finxit. nesciebat tuas esse apes siderales. quas bene collocaret in triangulo, hoc est in absolutæ Maiestatis insigni. Neque suspicio laudis affectatæ aliquem subornat. quia potuerunt ab antiquo tuæ Apes inter stellas adoptari, quas ab æterno Deus suo optauit regnatrices in Cœlo. Age igitur tuis sub stellatis apibus mea de Iuone quiescat oratio: quando Astrorum est, & Tuorum mellifluo sopore mortales irrigare. & Apum est & Tuarum mellificare in ore dormentium, fratremque Momi somnum à fratre defendere. Quamquam tantæ opis opus erit hoc pertenue: quando assuetæ sunt Apes tuæ pro Vrbibus, pro Orbibus excubare. Vale.

[...]ratus in [...]ænomenis.



ORA-

ORATIO.



SQVE adeo prodiga laudis est prærogatiua sanctitatis, vt Somnum etiam laudabilem faciat (Eminentissimi Principes) IVONEM, quem solemni ritu concione prosequimur honoraria, miramur etiam in somno iacentem. Gemellus [a] ille mortis, & funeris præcursor; Siren illa conciliatricula, quæ vectores ætatis nescio quo murmure sopit, ac mersat; Publicanus [b] ille sordidus, qui dimidium Vitæ corradit; viuendi confinium [c] illud, & non viuendi, quo ita distrahimur, vt neque simus omnino, neque non simus: hactenus laudari iure non poterat. Atticæ medulla sapientiæ Plato monuerat, vt quantum quis vellet viuere, vigilaret. secederet nimirum in [d] Ægam Insulam, vbi qui consopiri possit est nemo. Mycerinus [e] ille accepto de breuitate vitæ Butis oraculo dormire deinceps noluit, vt diutius victitaret. Hominem inter mortis, vt ait ille [f], parua mysteria somno sepultum, superstitem adhuc esse quiquid indicat, non magis hominem, quàm pecudem probat stupore belluino porrectam. Sanè [g] Epaminondas cum sopitum inter vigilias confoderet militem. Qualem, aiebat, te inueneram, relinquo: quia scilicet illum, antequam gladius, interemerat Somnus. Somnus inquam ille, qui sensus extimos, hoc est animi excubias per illecebræ fraudem, pedica corporis aggressus, pedetentim ipsam Rationis Arcem caput inuadit, totoque exinde corpore temulentus insultat, viresque euertit omnes atque dissoluit; prostratæ demum humanitatis spolium, obbrutescentem illam corporis captiui speciem, deducit

a *Homer. Iliadis.*
b *Aristom*
c *Arist. l. gener. animal. c. 1.*
d *Nicocra*
e *Aelianus*
f *Mnesim chus Comicus.*
g *Iul. Frontin l. 3. stratag. c. 12.*

in triumpho. Et Vitæ vos labem, & animi, corporisque discidium, & Cimmeriæ caliginis cum Momo [a] fratre Somnum indigenam, euocabitis in lucem hominum, & exornabitis laudibus? Exornabitis plane; si quando ille in Iuonem inciderit: in quo sortitus suarum cumulum laudum; papauere [b] aras suas, & thymiamate vaporatas, veterumque salutationes ementitas, quibus audiebat, Ocium [c] Vitæ, placidissimum Numen, [d] Rex hominum, ac deorum, & quidquid tota illa seculi somniauit literatura: eiurabit facilè factus in Iuone penè diuinus. Quoniam verò non vna ratione, sed iam saxo, iam volumine sacro ad ceruical adhibito somnus est ab Iuone petitus: hunc etiam ordinem petamus orationis nostræ, vt Iuonis qua lapidi, qua libro incumbentis Somnum dignissimum esse laudibus ostendamus. Quod dum aggredior facere: vestræ erit opis (Eminentissimi Principes) vt insomniosam eloquentiam meam de Iuonis somno dicentem, vestra illa sedulitate, quâ Orbi inuigilatis vniuerso excitetis, atque humanissime foueatis.

Hesiod. in Theogen. *Pausa l. 2.* *Chorin . . . tacis.* *Lactant l. . . . c. 17.* *Orpheus in . . . mno.*

Molles itaque somnos Iuo non in purpura, aut floribus; non in vtribus, vasisque Persarum; sed in saxo captabat. Et tamen cuius altera vitæ pars tota in exantlandis laboribus fuerat: non oportebat alteram, quæ quietis est portio, ad lapidem requiescere. at ille laborum auarus laborem etiam quærebat in quiete: & delicatam somni mollitudinem saxo durabat. Habebat illum lapidem non laboriosæ vigiliæ terminalem, sed litoralem columnam, vnde solueret in pelagus laborum æstuosum. Itaque qui catenis horrificis latus adstrinxerat, qui multorum se dierum inediâ macerauerat, hoc est, qui se stipauerat spinis: pro florum fulcro, quod Amoris languor suo affectat in carmine, saxum petebat: vt fœderatos vigiliæ somnos haberet. Sugebat nimirum [e] mel de petra: qui somnum quærebat

Hormutius . . . rebus Per . . . rum. *Cantic. 2.* *Psalm. 80.*

in petrâ. in petra, inquam, quæ veterum abolito ritu, non manalem [a] exprimeret lapidem, quem ex Ara Martis per Capenam portam inferebant, vt pluuiam detorquerent: sed pluuium sufficeret Cœli mel beatissima vena. Otia igitur somni in petra caperet placidissima. Quidni? Mandragoram biberat potentiorem, & soporiferam lethen Beatorum: sensumque cadiuæ voluptatis omnem amiserat. qui mortuus, dum viueret, erat, ad saxum poterat molliter indormire: quia cuius erat vigilia rebus fluxis planè defuncta, eiusdem debebat esse somnus in sepulcro. quamquam in eo sepulcro melius viuebat, videbatque suo felicius, quam Tiberius [b] Cæsar, cum destertuisset, lucem in tenebris: quippe cui Cœlo disserenato diuina monstrabantur. Quare lapidem suo ex industria subderet ceruici, non quasi [c] Hammonis cornu, hoc est lapidem in Hammonis templo appeteret, in quo mira somniaret dementer imaginosus: sed quia de lapidis puluino frequentes superis scalas [d] vidit olim fortunatus ille fraternæ simultatis exsul, erexitque in titulum lapidem illum verè prodigiosum. An Iuo non videret in somnis adhibitas cœlo scalas, quo conscensum parauerat vigilando? Repetebat mente per somnum, quod re ipsa inter vigilandum effecerat. Cœlum violentus vt raperet adortus erat, scalasque hoc est vota sua sempiternis muris intulerat: id ipsum, vt assolet, sopitus iterabat, scalasque somnorinas habebat. vbi lapis conterminus scalis, aut vallum, aut agger erat obsidioni paratus, aut iactus non Babyloniæ Turri fundandæ, sed applicandis Virtutum gradibus, quibus Cœlum intraretur. Et non signaret Iuo hoc lapide planè candido noctes suas nota felicitatis? eumdemque non erigeret in titulum iure triumphalem? In quo describat Amor aut demortui Iuonis Epitaphium, aut triumphantis encomium. Hic iacet Iuo. satis est scriptum in solo nomine, si potes aduertere.

[a] *Festus.*

[b] *Rhodigin. l. 30. c. 7.*

[c] *Solinus c. 4*

[d] *Genes. 28.*

Antequam in Britannia minore naſceretur, Gigantis ſpecie viſus eſt Matri, quia gentium bono publico Heros homine maior naſcebatur. Aureliæ, Lutetiæque præceptrices habuit Athenas. Gallias potenti ſermone peruaſit, vt fidem faceret Herculi Gallicano.[a] Cauſſarum egit & Iudicem, & Patronum. alterum altero commutauit. Aduerſas res Spartana melius nobilitate decoxit. ſecundas magnanimitatis ſupercilio deſpexit. Nullo potionis, aut cibi commeatu multorum dierum famem traduxit: viuebat enim verbo Dei. Diuinis rebus aſſuetus, diſtentus octiduum à corpore, diſceſſit à ſeſe. Cœleſtium vſus eſt affatu. Numen habuit conuiuam. habuit ad aram dum faceret allapſum in comas Coronarium Diuinitatis ardorem. Morbi eius imperium; eius virtutem lemures timuerunt. vnico pane famelicorum turbas excepit. dicto flammarum violentiam excuſſit. nutu eluuionem inhibuit vndarum, flagellum excandeſcentis annonæ comminuit. inter Cœli Reges, in Aula, inquam, pauperum, quorum eſt Cœlum, ſub ditione, regnauit. Hæc profecto in eo ſuperſtitis Iuonis epitaphio lapide Munerarius Amor inſcripſerat. Quamquam Iuo non Heroa ſe in lapide volebat incidi, ſed Chriſti mancipium. ideoque iacebat ad lapidem, quia pronunciari[b] ſolent de lapide res venales. & ille quidem ſe Chriſto vendiderat, vt cum fœnore lucrifaceret Chriſtum, cuius obtineret in petrâ non pedis, ſed capitis poſitione dominium. O Iuoniani ſomni prærogatiuam eximiam, quando potentiorem Mercuriali virgam incutiens, de putri lapide flumina laudum elicit tam benigna.

Ita delicias ſuas Iuo collocarat in lapide, & nidum in petrâ ſtatuerat, quia petra erat Chriſtus: & Iuo dum in idipſum[c] requieſceret, manere amabat ſemper in Chriſto. Quare quod erat altera orationis noſtræ pars, ſi quando ſui ſomni vellet aſperitatem emollire pro lapide cœle-

ſtis

Lucian. de Hercule Gallico.

Cic. in Pisonem,

Pſalm. 4.

ſtis diſciplinæ monumenta, librum, inquam, dictatrice diuinitate conſcriptum ſupponebat: vt ſcilicet in Verbo Dei & viueret, & dormiret; & quatenus daretur Amoris priuilegium caperet: ſi iaceret in eius ſinu, in quo ille recubuit, qui ex diſcipulo repente doctor Vniuerſitatis humanæ[a] Arcanum diuinitatis explanauit. Et ſanè quorſum ſpectaret Iuo dum dormiret in libro Dei, niſi vellet etiam diuina inter dormiendum addiſcere? In ſomnis afflari[b] diuinitus animum, adeoque ſeorſim à corpore per noctem ſapientiæ præceptis medicandum eſſe veteres voluere.[c] Somnum etiam Deí nuncium,[d] & diſciplinæ Conciliatorem ſalutarunt. Simul enim ac alimoniæ calore concepto attolluntur in cerebrum volatici vapores, ac rigore illo natiuo concreti diribitorem obſtruunt meatum, vnde ſpiritus, vireſque in ſenſus extimos manant: poſt vérborum ſalebras interciſas, poſt nantes oculos, & dilabidum caput, ſopor primùm influit leuis, altus deinde ſomnus incumb.t. Interea brutis officijs animus feriatus ſibi redditur, & tumultuario quaſi de maris æſtu in ſinum quendam egreſſus recipit ſe ſe. hic quamquam ex agitatione illa diurna ſicut nobis in ſalo iactatis vſuuenit, vacillat adhuc, & fluctuat priſtinis motibus: exanimales[e] tamen curas ſenſim exutus, in ſe tandem induit[f] ſe diuinis percipiendis iam paratus. Nouere Mortalium vertices Adamus, & Salomon[g] ſomni magiſteria. Neque opportunius Ethnici putabant ſe poſſe vel diſcere diuina, vel docere, niſi dum in lectos,[h] & ſomnum irent. Iam verò Iuo non alimoniæ, ſed diuini æſtus calore prolapſus in ſomnum minimè ſomnioſum quantum didicerit penditote: atque hinc aduertite quid ſibi velit Iuoniani ſomni in multas noctes, dieſque productio. Dilecto ſuo[i] ſomnum Dominus dederat, & ne ſuſcitaretur[k] ex illo præceperat. quia nimirum dormiebat Iuo amores ſuos, cæleſtiſque diſciplinæ percipiebat arcanum.

Io. 1.
b *Zamolxis apud Platonem.*
c *Xenophon 8. Paediae.*
d *Phornutus*
e *Tertullian l. de anima c. 43.*
f *Hippocrates de Insomnÿs.*
g *Reg. 3.*
h *Perſ. Sat. 1. Senec. ep. 73*
i *Pſal. 126*
k *Cantic. 2.*

rum & tesseras monstraturas denique aut Canem, aut Venerem. Somnia dicimus vera, quæ vel diuinitus irrorantur, vel corporis, animique affectione pariuntur: quibus conijciendis non puerum [a] Sabinum, [b] non atratum senem, non anus veratrices adhibemus: vbi coniector est optimus staturus visis euentus. Non ergo Iuoni per somnum Sol [c] elabebatur è manibus, vt Cyro; non olea [d] intendebatur coronalis, vt Xersi; non Minerua videbatur fulminans, [e] vt Syllæ: sed ea recurrebãt in animum, quæ inter vigilandum effecerat. Animus nimirum humanus dum concubia nocte suas se se penetrat in sedes, & memoriæ thesauros ingreditur, quidquid per diem illuc transtulit auidè lustrat recensione nocturna. Videbatur Iuoni cum diem impenderat in orbitate viduæ confouenda, defletis matrona oculis, obtortoque valgiter in gemitus labro Iuonianam opem miserâ gesticulatione postulare. Ille mœrentem humaniter excipiebat, promisso patrocinio propitiabat sollicitudinem externatæ, in iudicium comitabatur, ínibique tanta contentione perorabat aliquando: vt vel in somno vigiles illos eloquentiæ excubitores facile superaret. Aderat interdum iniecto ceruicibus laqueo, caperata fronte, barbis horrentibus, morti scelerosus quisquiam iam deuotus. Tãgebat Iuonis animum emortualis aspectus. oportebat tamen Iudicem esse. Mouebat vrnam, calculum arripiebat damnationis notam, capitale theta, necesse erat inscribere: sospitum Tau supponere satagebat. In libro, & in verbo vitæ somno se dabat, non poterat proferre verbum mortis. quod tamen si de legis imperio excutiebat, perterrefactus illico, & cordis subitario tumultu excitus, somnum abrumpebat meticulosum: quem non aquis [g] de more veterum, sed ablueret lacrymis suis. Ingens aperiebatur quandoque aula domestica: in medio mensa opipara parabatur: circum egentium turmæ confluebant. Ipse confestim afferre pollubrum,

cænum

[a] Sueton. in Galba c. 18.
[b] Plutar. l. περὶ δεισιδαιμονίας.
[c] Herophilus.
[d] Dionys. de rebus Persicis
[e] Herod. l. 7.
[f] Plutarchus in Sylla.
[g] Aristoph. in Batrachis.

cænum, ac liuidos balatrones extergere: centones deinde pannoſos mutare cœnatorijs: in triclinio denique collocare. Inter eos miſerorum greges neſcio quis obtutu mortali aſpectus auguſtior emicabat. illinc Iuo paſcebat auidus oculum, intimiſque allapſam medullis flammæ inſolentiam hauriebat. Interea vultu hoſpes erecto clara refulget in luce, diuinumq; de comis afflat odorem, denique, Pax ait, vobis, & è veſtigio in auras euaneſcit. Tum vero Iuo pacali perculſus voce amores recognoſcit ſuos, ſeſeque dum conclamat illuſum, recedentem ſin minus oculis, perſequitur votis: ſuſpirio denique ſollicito inundatus emergit è ſomno. Quamquam haud potuit diu diſtineri à Numine, cuius ducebat ab ore dies ſuos. Somnum intercisum iamdiu ferre non potuit. Amabat eum allabi ſibi ſomnum, ex quo ſolui non poſſet. Aſsuetus igitur in petra Chriſti, & in Verbo Dei dormire facile tandem obdormiuit in Domino.

Videte iam quantas laudes Iuonianus habeat ſomnus; coniecturam inde facite de vigilijs: eas qui laudet Orator, oportet eſſe vigilantem. condonari mihi potuit negligentia de ſomno dicenti. Intereà vos Cauſarum Arbitri, & Patroni primores, Iuonianæ laudis hæredes in cera ſuprema: hac vobis cernite hæreditatem in culcitra, & quod olim Athanaſius de palmea Pauli culcitra, vos de veſtra hac inſtaurate. Hunc lapidem, hunc librum ſummis honoribus colite, & vt par pari referatis, Iuoni modo lapides, modo libros conſecrate, vel incidite, ſi mauultis, in marmore, & ſcriptis voluminibus prodite tantæ monumenta ſanctitatis.



DIXI.

LAVS DEO.